Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26261
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Iste uersus cum omelia sua Require in tercio folio. hic enim dimidia habetur, sed ibi plenius repetitur.

beelzebub uocauerunt, quanto magis domesticos eius. Bel
zebub idolum est accaron, quod uocatur in regnorum uolumine idolum
muscę. et ipse bel siue baal. zebub autem musca dicitur. Prin
cipem ergo demoniorum exspurcissimi idoli appellabant uo
cabulo, qui musca dicitur propter inmundiciam que exterminat
suauitatem olei. Nichil enim opertum est quod non reuelabitur, et
occultum quod non scietur. Et quomodo in presenti seculo multorum uicia
nesciuntur? Sed de futuro tempore scribitur, quando iudicabit
deus abscondita hominum, et illuminabit latebras tene
brarum, et manifesta faciet consilia cordium. Et est sensus;
Nolite timere persecutorum seuitiam et blasphemantium rabiem,
quia ueniet dies iudicii in quo et uestra uirtus et eorum nequicia
demonstrabitur. Quod dico uobis in tenebris dicite in lumine,
et quod in aure auditis predicate super tecta. Quod audistis in
mysterio apertius predicate, quod didicistis absconse publice
loquimini, quod uos erudiui in paruulo iudeę loco, in uniuer
sis urbibus et in toto mundo audacter dicite. Nolite time
re eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.
Si qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere,
ergo anima inuisibilis et incorporalis est secundum crassiorem
dico nostri corporis substantiam, ut eo certe tempore punie
tur, et supplicia sentiet, quando pristinum corpus receperit,
ut cum quo peccauit cum ipso pariter puniatur. Eum timete, qui
potest animam et corpus perdere in gehennam. Nomen gehenne
uel non in ueteribus libris inuenitur, sed primum a saluatore ponitur.